

Universitätsbibliothek Wuppertal

M. VAL. MARTIALIS

Martialis, Marcus Valerius

AMSTELODAMI, 1628

Liber XI.

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-711](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-711)

MARTIALIS

Epigrammatum

LIBER XI.

Ad Librum suum. 1.

Quo tu, quo, liber otiose, tendis,
 Cultus sindone non quotidiana?
 Numquid Parthenium videre? certe.
 Vadas, & redeas inevolutus.
 Libros non legit ille, sed libellos:
 Nec Musis vacat, aut suis vacaret.
 Ecquid te satis æstimas beatum,
 Contingunt tibi si manus minores?
 Vicini pete porticum Quirini:
 Turbam non habet otiosiozem
 Pompejus, vel Agenoris puelia,
 Vel primæ dominus levis Carinæ.
 Sunt illic duo tresve qui revolvant
 Nostrarum tineas ineptiarum:
 Sed cum sponso, fabulæque lassæ
 De Scorpo fuerint & Incitato.

*Ad lectores liber Saturna-
 licius. 2.*

Triste supercilium, durique severa Catonis.
 Frons, & aratoris filia Fabricii,
 Et personati fastus, & regula morum,
 Quidquid & in tenebris non fumus; ite foras
 Clamant, ecce, mei bona Saturnalia versus.
 Et libet; & sub te præside, Nerva, licet.
 Lectores retrici, salebrosùm ediscite Santiam;
 Nil mihi vobiscum est: iste liber meus est.

De

De suis libellis, 3.

Non urbana mea tantum Pimpleide gaudent
 Oria, nec vacuis auribus ista damus :
 Sed meus in Geticis ad Martia signa pruinis
 A rigido teritur centurione liber.
 Dicitur & nostros cantare Britannia versus.
 Quid prodest? nescit facculus ista meus.
 At quam victuras poteramus pangere chartas ;
 Quantaque Pieria proelia flare ruba ;
 Cum pia reddiderint Augustum numina terris,
 Et Mæcenatem si mihi Roma daret!

*Votum pro Nerva (Traiano)
 & Senatu. 4.*

Sacra laresq; Phrygum, quos Trojæ maluit heres
 Quam rapere arsuras Laomedontis opes:
 Scriptus & æterno nunc primum Iupiter auro:
 Et soror, & summi Filia tota Patris:
 Et qui purpureis jam tertia nomina fastis,
 Iane, refers Nervæ; vos precor ore pio:
 Hunc omnes servate Ducem, servate Senatum:
 Moribus hic vivat Principis, ille suis.

Ad Cæsarem, 5.

Tanta tibi est recti reverentia, Cæsar, & æqui,
 Quanta Numæ fuerat: sed Numa pauper erat.
 Ardua res hæc est, opibus non tradere mores ;
 Et cum tot Croesos viceris, esse Numam.

Ad eundem, 6.

Si redeant veteres, ingentia nomina, patres ;
 Elysiun liceat si vacuare nemus:
 Te colet invictus pro libertate Camillus :
 Aurum Fabricius, te tribuente, volet.
 Te duce gaudebit Brutus. tibi Sylla cruentus
 Imperium tradet, cum positurus erit.
 Et te privato cum Cæsare Magnus amabit:
 Donabit rotas & tibi Crassus opes.
 Ipse quoque infernis revocatus Ditis ab umbris,
 Si Cato reddatur, Cæsareanus erit.

Ad

*Ad Romam, de Saturna-
libus. 7.*

Væstis falciferi senis diebus,
 Regnator quibus imperat fritillus,
 Versu ludere non laborioso
 Permittis, puto, pileata Roma.
 Risisti. licet ergo, nec vetamur.
 Pallentes procul hinc abite curæ:
 Quidquid venerit obvium, loquamur
 Morosa sine cogitatione.
 Misce dimidios puer trientes,
 Quales Pythagoras dabat Neroni:
 Misce, Dindyne, sed frequentiores.
 Possum nil ego sobrius: bibenti
 Succurrent mihi quindecim Poetæ.
 Da nunc bassia, sed Catulliana.
 Quæ si tot fuerint, quot ille dixit,
 Donabo tibi passerem Catulli.

In Paullum. 8.

Iam certe stupido non dices, Paulla, marito,
 Ad moechum quoties longius ire voles:
 Cæsar in Albanum iussit me mane venire,
 Cæsar Circeios. jam strophæ talis abit.
 Penelopæ licet esse tibi sub principe Nerva:
 Sed prohibet scabies, ingeniumque verus.
 Infelix quid ages? ægram simulabis amicam?
 Hærebit dominæ vir comes ipse suæ.
 Ibit & ad fratrem tecum, matremque patremque;
 Quas igitur fraudes ingeniosa paras?
 Diceret hystericam se forsitan altera moecha,
 In Sinuessano velle sedere lacu.
 Quanto tu melius! quoties placet ire futurum,
 Quæ verum mavis dicere, Paulla, viro.

*De basis sui pueri, ad Sabu-
num. 9.*

Lassa quod hesterni spirant opobalsama dranci;
 Ultima quod curvo quæ cadit aura croco;
 Poma quod hiberna maturescencia capsa:
 Arbore quod vernâ luxuriosus ager;
 De Pallatinis dominæ quod Serica prælis;
 Succina virgiuea quod regelata manu:

Amphora

Amphora quod nigri, sed longe fracta, Falerni:
 Quod qui Sicanias derinet hortus apes:
 Quod Cosmi redolent alabastra, focique deorum:
 Quod modo divitibus lapsa coronâ comis:
 Singula quid dicam? non sunt satis: omnia nisce:
 Hoc fragrant pueri basia mâne mei.
 Scire cupis nomen? si propter basia, dicam.
 Iurasti. nimium scire, Sabine, cupis.

*De pictura Memor is, poeta
 tragici. 10.*

Clarus fronde Iovis, Romani fama cothurni,
 Spirat Apellea redditus arte Memor.

*De Turno satirographo, ejus
 fratre. 11.*

Contulit ad satiras ingentia pectora Turnus:
 Cur non ad Memoris carmina? frater erat.

Ad pocilatorem suum. 12.

Tolle puer calices, tepidique torcumata Nili,
 Et mihi secura pocula trade manu,
 Trita patrum labris, & tonso pura ministro:
 Antiquus mensis restitatur honor.
 Te potare decet gemma, qui Mentora frangis
 In scaphium mœchæ, Sardanapalle, tuæ.

In Zoilum. 13.

Ius tibi natorum vel septem, Zoile, detur:
 Dum matrem nemo det tibi, nemo patrem.

*Epitaphium Parisi panto-
 mimi. 14.*

Quisquis Flaminiam teris, viator,
 Noli nobile præterire marmor.
 Urbis deliciae, salesque Nili,
 Ars & gratia, lusus & voluptas,
 Romani decus & dolor theatri,
 Atque omnes Veneres, Cupidinesque,
 Hoc sunt condita, quo Paris, sepulchro,

De brevi colono, 15.

Heredes, nolite brevem sepelire colonum.
Nam terra est illi quatulacunque gravis.

*Ad Apollinarem, de hoc suo
libro. 16.*

Sunt chartæ mihi, quas Catonis uxor,
Et quas horribiles legant Sabinæ:
Hic totus volo rideat libellus,
Et sit nequior omnibus libellis:
Qui vinô madeat, nec erubescat
Pinguis sordidus esse Cosmiano.
Ludat cum pueris; amet puellas:
Nec per circuitus loquatur illam
Ex qua nascimur omnium parentem;
Quam sanctus Numa mentulam vocabat.
Versus hos tamen esse tu memento
Saturnalicios, Apollinaris.
Mores non habet hic meos libellus.

Ad lectores, 17.

Qui gravis es nimium, potes hinc jam lector abire:
Quo libet: urbanæ scripsimus ista togæ.
Nam mea Lampfacio lascivit pagina versu;
Et Tarteffiaca concrepat æra manu.
O quoties rigida pulsabis pallia vena,
Sis gravior Curio, Fabricioque licet:
Tu quoque nequitas nostri lususque libelli:
Vda puella leges, sis Patavina licet.
Erubuit posuitque meum Lucretia librum,
Sed coram Bruto. Brute recede; leget.

Ad Sabinum, 18.

Non omnis nostri nocturna est pagina libri;
Invenies & quod mane, Sabine, legas.

In Lupum, 19.

Donasti, Lupe, rus sub urbe nobis:
Sed rus est mihi majus in fenestra.
Rus hoc dicere, rus potes vocare?
In quo ruta facit nemus Dianæ,
Argute regit ala quod cicadæ,
Quod formica die comedit uno;
Clusæ cui folium rosæ corona est:

In quo non magis invenitur herba,
 Quam Cosini folium ; piperve crudum ;
 In quo nec cucumis jacere rectus,
 Nec serpens habitare tota possit.
 Erucam male pascit hortus unam ;
 Consumpto moritur culex salicto ;
 Et talpa est mihi fossor atque arator ;
 Non boletus hiare, non mariscæ
 Ridere, aut violæ patere possunt.
 Fines mus populatur, & colono
 Tanquam sus Calydonius timetur ;
 Et sublata volantis ungue Procnæ
 In nido seges est hirundinino :
 Et cum stet sine falce, mentulaque,
 Non est dimidio locus Priapo.
 Vix implet cochleam peracta messis,
 Et mustum nuce condimus picata :
 Errasti, Lupe, littera sed una :
 Nam quo tempore prædium dedisti ;
 Mallem tu mihi prandium dedisses.

In Gallam. 20.

Quæris cur nolim te ducere, Galla ? diserta es.
 Sæpe folocissimum mentula nostra facit.

Ad lectores. 21.

Cæsaris Augusti lascivos, livide, versus
 Sex lege, qui tristis verba Batina legis.
*Quod fuisse Glaphyriam Antonius, hanc mihi pernam
 Fulvia constituit, se quoque uti suam.*
 Fulviam ego ut suam ? quid si me Manius oves
 Padicem, faciam ? non puto, si sapiam.
*Aut futue, aut pugnetur, ait, quid, quod mihi vita
 Cavior est ipsa mentula ? signa canant.*
 Absolvit lepidos nimirum, Auguste, libellos ;
 Qui scis Romana simplicitate loqui.

In Lydiam. 22.

Lydia tam laxa est, equitis quam culus aeni ;
 Quam celer arguto qui sonat ære trochus ;
 Quam rota transmissio toties impacta petauro,
 Quam verus à crassa calceus udus aqua ;
 Quam quæ rara vagos expectant retia turdos ;
 Quam Pompejano vela negata Notus ;
 Quam quæ de phthirico lapsa est armilla cinædo ;
 Calcita Leuconico quam viduata suo ;

Quam

Quam veteres braccæ Britonis pauperis, & quam
 Turpe Ravennatis guttur onocrotali.
 Hanc in piscina dicor futuisse marina,
 Nescio : piscinam me futuisse puto.

In padiconem masturban-
tem. 23.

Mollia quod nivei duro teris ore Galefi
 Basia, quod nudo cum Ganymede jaces,
 Quis negat hoc nimium? sed sit satis: inguina sal-
 Parce fututrici sollicitare manu. (tem
 Levibus in pueris plus hæc, quam mētula, peccat;
 Et faciunt digiti, præcipitantque virum.
 Inde tragus, celeresque pili, mirandaque matri
 Barba, nec in clara balnea luce placent.
 Divisit natura mares : pars una puellis ;
 Vna viris genita est : utere parte tua.

In Silam. 24.

Nubere Sila mihi nulla non lege parata est :
 Sed Silam nulla ducere lege volo.
 Cum tamen instaret ; decies mihi dotis in auro
 Sponsa dabis, dixi : quid minus esse potest ?
 Nec futuam quamvis prima te nocte maritus ;
 Communis tecum nec mihi lectus erit. (cam
 Complectarque meam, nec tu prohibebis, ami-
 Ancillam mittes & mihi iussa tuam.
 Te spectante dabit nobis lasciva minister
 Basia, sive meus, sive erit ille tuns.
 Ad coenam venies, sed sic divisa recumbes
 Ut non tangantur pallia nostra tuis.
 Oscula rara dabis nobis, sed non dabis ultro :
 Nec quasi nupta dabis, sed quasi mater anus,
 Si potes ista pati, si nil perferre recusas ;
 Invenies qui te ducere, Sila, velit.

Ad Labullum, 25.

Dum te prosequor, & domum reduco,
 Aurem dum tibi præsto garrienti,
 Et quidquid loqueris, facisque, laudo ;
 Quot versus poterant, Labulle, nasci !
 Hoc damnum tibi non videtur esse,
 Si quod Roma legit, requirit hospes,
 Non deridet eques, tenet senator,
 Laudat caussidicus, poeta carpit,

Propter :

Propter te perit hoc, Labulle, verum est?
 Hoc quisquam ferat, ut tibi ruorum
 Sit major numerus togatorum,
 Librorum mihi sit minor meorum?
 Triginta prope jam diebus una est
 Nobis pagina vix peracta: sic fit,
 Cum coenare domi Poeta non vult.

In Lino, 26.

Ille salax nimium, nec paucis nota puellis,
 Stare Lino desit mentula, lingua, cave.

Ad Thelesphorum puerum, 27.

O mihi grata quies, ô blanda, Thelesphore, cura,
 Qualis in amplexu non fuit ante meo!
 Basia da nobis vetulo puer uda Falerno,
 Pocula da labris facta minora tuis.
 Addideris super hæc Veneris si gaudia vera:
 Esse negem melius cum Ganymede Iovi.

Ad Flaccum, 28.

Ferrens es, si stare potest tibi mentula, Flacce,
 Cum te sex cyathos orat amica gari,
 Vel duo frustra rogar cybii, tenuem ve lacertum,
 Nec dignam toto se botryone putat:
 Cui portat gaudens ancilla parapside rubra
 Alecem, sed quam protinus illa voret,
 Aut cum perfricit frontem, posuitque pudorem,
 Succida palliolo vellera quinque petit.
 At mea me libram foliati poscat amica,
 Aut virides gemmas, sardonychasve pares:
 Nec nisi prima velir de Tusco Serica vico,
 Aut centum aureolos sic velur æra roget.
 Nunc tu velle putas hæc me donare puellæ?
 Nolo, sed his ut sit digna puella, volo.

De Nasica, 29.

Iuvavit medici Nasica phreneticus Aucti,
 Et percudit Hylan, hinc puto sanus erat.

Ad Phyllidem, 30.

Languida cum vetula tractare virilia dextra
 Cœpisti; jugulor pollice, Phylli, tuo,
 Nam cum me murem, cum me tua lumina dicis,
 Floris me refici vix puto posse decem.

Blandicias nescis: dabo, dic, tibi millia centum,
 Et dabo Setini jugera culta soli:
 Accipe vina, domum, pueros, chrysendeta, mensas.
 Nil opus est digitis: sic mihi, Phylli, frica.

In Zoilum, 31.

Os male caussidicis, & dicis olere poetis:
 Sed fellatori, Zoile, pejus olet.

In Cæcilium, 32.

Atrens Cæcilius cucurbitarum,
 Sic illas quasi filios Thyestæ
 In partes lacerat secatque mille.
 Gustu protinus has edes in ipso;
 Hæc prima feret, alterave cœna;
 Has cœna tibi reſtitua reponet.
 Hinc seras epidipnidas parabit;
 Hinc piſtor fatuas facit placentas;
 Hinc & multiplices ſtruit tabellas;
 Et noras caryotidas theatris:
 Hinc exit varium coco minutal,
 Ut lentem positam, fabamque credas:
 Boleros imitantur, & botellos,
 Et caudam cybii brevesque mænas:
 Hinc cellarius experitur artes,
 Ut condat vario vaſer ſapore
 In ruta folium Capelliæna.
 Sic implet gabatas, parapſidesque,
 Et leves ſcutillas, cavaſque lances.
 Hoc lautum putat, hoc putat venuſtum,
 Vnum ponere ſerculis tot aſſem.

In Neſtorem, 33.

Nec toga, nec focus eſt, nec tritus cinice lectus,
 Nec tibi de bibula facta palude teges:
 Nec puer, aut ſenior, nulla eſt ancilla, nec infans,
 Nec ſera, nec clavis, nec canis, atque calix.
 Tu tamen affectas, Neſtor, dici atque videri
 Pæuper, & in populo quæris habere locum.
 Mentiris, vanoque tibi blandiris honore.
 Non eſt paupertas, Neſtor, habere nihil.

De Fraſino, 34.

Sæpius ad palmam Fraſinus poſt fata Neronis
 Peruenit, & victor præmia plura refert.

¶ nunc

Ipunc, Livor edax, dic te cessisse Neroni:
Vicit nimirum, non Nero, sed Praefinus.

In Aprum, 35.

Aedes emit Aper; sed quas nec noctua vellet.
Esse suas: adeo nigra vetusque casa est.
Vicinos illi niuidus Maro possidet hortos.
Coenabit belte non habitabit Aper.

Ad Fabullum, 36.

Ignotos mihi cum voces trecentos,
Quare non veniam vocatus à te
Miraris, queresisque, litigasque.
Solus coeno, Fabulle, non lubenter.

De Caii Iulii Proculi reditu. 37.

Caius hanc lucem gemma mihi Iulius alba
Signat, id, votis redditus, ecce, meis.
Desperasse iuvat veluti jam rupta sororum
Fila; minus gaudent, qui timere nihil.
Hypne, quid exspectas piger? immortale Falernum.
Fundet: senem poscunt talia vota cadum.
Quincunces & sex cyathos belsemque bibamus,
CAIVS ut fiat IVLIVS & PROCVLVS.

In Zoilum. 38.

Zoile quid tota gemmam praecingere libra
Te iuvat, & miserum perdere sardonicha?
Annulus iste tuis fuerat modo cruribus aptus:
Non eadem digitis pondera conveniunt.

De mulione surdo, ad Auctum, 39.

Mulio viginti venit modo millibus, Aucte.
Miraris pretium tam grave? surdus erat.

In Charidemum, 40.

Camarum fueras motor, Charideme, mearum;
Et pueri custos, assiduusque comes.
Iam mihi nigrescunt tonsa sudaria barba,
Et queritur labris puncta puella meis.
Sed tibi non crevi: te noster villicus horret;
Te dispensator, te domus ipsa pavet.
Ludere nec nobis, nec tu permittis amare:
Nil mihi vis, & vis cuncta licere tibi.
Corripis, observas, queresis, suspiria duc.
Et vix à ferulis abstinere ira manum.

Si Tyrios sumpsi cultus, unxive capillos;
 Exclamas, Nunquam fecerat ista pater.
 Et numeras nostros adstricta fronte trientes,
 Tanquam de cella sic cadas ille tua.
 Desine; non possum libertum ferre Caronem.
 Esse virum jam me dicet amica tibi.

De Luperco, 41.

Formosam Glyceren amat Luperceus,
 Et solus tenet, imperatque solus.
 Quam toto sibi mense non fututam
 Cum tristis quereretur; & roganti
 Causam reddere velle Æliano:
 Respondit, Glyceræ dolere dentes.

De Amynta, ad Lygdum, 42.

Indulget pecori nimium dum pastor Amyntas,
 Et gaudet fama luxuriæque gregis,
 Cedentes oneri ramos, silvamque fluentem
 Vicit; concussas ipse secutus opes.
 Triste nemus diræ venit superesse rapinæ,
 Damnavitque rogis noxia ligna pater.
 Pingues, Lygde, sues habeat vicinus tolas,
 Te satis est nobis annumerare pecus.

In Cæcilianum, 43.

Vivida cum poscas epigrammata, mortua ponis
 Lemmata, qui fieri, Cæciliane, potest?
 Mella jubes Hyblææ tibi vel Hymettia nasci,
 Et thyma Cæcropiæ Corsica ponis api.

Ad Vxorem, 44.

Deprensam in puero territis me vocibus uxor
 Corripis, & culum te quoque habere refers,
 Dixit idem quoties lascivo Iuno Tonanti?
 Ille tamen grandi cum Ganymede jacet.
 Incurvabat Hylam posito Tiryntius arcu:
 Tu Megaram credis non habuisse nates?
 Torquebat Phœbum Daphne fugitiva: sed illas
 OEBALIS flammas iussit abire puer.
 Bryseis inultum quamvis aversa jaceret,
 Æacidæ propior levis amicus erat.
 Parce tuis igitur dare mascula nomina rebus:
 Teque puta cunos, uxor, habere duos.

Ad senem orbem, 45.

Orbes es, & locuples, & Bruto consule natus,
 Esse tibi veras credis amicitias?
 Sunt veræ: sed quas juvenis, quas pauper habebas:
 Qui novus est, mortem diligit ille tuam.

In Cantharum, 46.

Intrasti quoties inscriptæ limina cellæ,
 Seu puer arisist, sive puella tibi:
 Contentus non es foribus, veloque seraque;
 Secretumque jubes grandius esse tibi.
 Oblinitur minimæ si qua est suspicio rimæ.
 Punctaque lasciva quæ terebrantur acu,
 Nemo est tam teneri, tam sollicitique pudoris,
 Qui vel pædicat, Canthare, vel futuit.

In Mavium, 47.

Iam nisi per somnum non arrigis, & tibi, Mavi,
 Incipit in medios meiere verpa pedes:
 Truditur & digitis pannucea mentula lassis,
 Nec levat extinctum sollicitata caput.
 Quid miseros frustra cunnos, culosque lacessis?
 Summa petas: illic mentula vivit anus.

In Blattaram, 48.

Omnia scemineis quare dilecta catervis
 Balnea devirat Blattara? ne futuat.
 Cur nec Pompeja lentus spatiat in umbra,
 Nec petit Inachidos limina? ne futuat.
 Cur Lacedæmonio luteum ceromate corpus
 Perfundit gelida Virgine? ne futuat.
 Cum sic sceminei generis contagia vitet,
 Cur lingit cunnum Blattara? ne futuat.

De Silio (Italico) poeta, 49.

Silius hæc magni celebrat monumenta Maronis,
 Iugera facundi qui Ciceronis habet.
 Hæredem dominumque sui tumulive larisve,
 Non alium mallet, nec Maro, nec Cicero.

De eodem, 50.

Iam prope desertos cineres, & sancta Maronis
 Nomina qui coleret pauper, & unus erat.
 Silius optatæ succurrere censuit umbræ,
 Silius & vatem, non minor ipse, colit.

In Phyllida. 51.

Nulla est hora tibi qua non me, Phylli, furentem
 Despolies: tanta calliditate rapis.
 Nunc plorat speculo fallax ancilla relicto:
 Gemma vel à digito, vel cadit aure lapis.
 Nunc furtiva lucri fieri bombycina possunt:
 Profertur Cosini nunc mihi siccus onyx.
 Amphora nunc petitur nigri cariota Falerni,
 Expiet ut somnos garrula saga tuos.
 Nunc ut etiam grandemve lupum, nullumve bili-
 Indixit coenam dives amica tibi. (brein,
 Sit pudor, & tandem veri respectus & æqui.
 Nil tibi, Phylli, nego: nil mihi, Phylli, nega.

De Titio, 52.

Tanta est quæ Titio columna pender,
 Quantum Lampfaciæ colunt puellæ.
 Hic nullo comitante, nec molesto,
 Thermis grandibus, & suis lavatur:
 Anguste Titius tamen lavatur.

Ad Iulium Cerealem. 53.

Coenabis belle, Iuli Cerealis, apud me:
 Conditio est melior si tibi nulla, veni.
 Octavam poteris servare: lavabimur una:
 Scis quam sint Stephani balnea juncta mihi.
 Prima tibi dabitur ventri lactuca movendo
 Utilis, & porris fila resecta suis.
 Mox vetus, & tenui major cordylla lacerto,
 Sed quam cum rutæ frondibus ova tegant.
 Altera non deérunt tenui versata favilla.
 Et Velabrensi massa recocta foco.
 Et quæ Picenum senserunt frigus olivæ,
 Hæc satis in gustu. cætera nosse cupis?
 Mentiar, ut venias: pisces, conchyliæ, fumen,
 Et cortis saturas atque paludis aves:
 Quæ nec Stella solet rara nisi ponere coena.
 Plus ego polliceor: nil recitabo tibi.
 Ipse tuos nobis relegas licet usque Gigantas,
 Rura vel æterno proxima Virgilio.

De Claudia Rufina, 54.

Claudia cæruleis cum sit Ruina Britannis
 Edita, quam Latiae pectora gentis habet!
 Quale decus formæ! Romanam credere matres
 Italides possunt, Athides esse suam.

Dī bene quod sancto peperit secunda marito,
 Quod sperat generos, quodque puella nurus.
 Sic placeat superis, ut conjuge gaudeat uir,
 Et semper natis gaudeat illa tribus.

In Zoilum. 55.

Vnguenta, & calias, & olentem funera myrrham,
 Thuſaque de medio semicremata rogo;
 Et quæ de Itygio rapuisti cinnama lecto,
 Improbe, de turpi, Zoile, redde ſinu.
 A pedibus didicere manus peccare protervæ.
 Non miror furem, qui fugitivus erat.

Ad Urbicum, de Lupo. 56.

Hortatur fieri quod te Lupus, Urbice, patrem:
 Ne credas. nihil est quod minus ille velit,
 Ars est captandi, quod uolis velle videri;
 Ne facias optat, quod rogat ut facias:
 Dicat prægnantem tua se Cosconia tantum:
 Pallidior fiet jam pariente Lupus.
 At tu consilio videaris ut usus amici;
 Sic morere, ut factum te putet esse patrem.

In Cheramonem. 57.

Quod nimium laudas, Cheræmon Stoice, mortem,
 Vis animum mirer suspiciamque tuum.
 Hanc tibi virtutem fracta facit urceus ansa,
 Et tristis nullo qui repet igne focus.
 Et teges, & cimex, & nudi sponda grabati,
 Et brevis, atque eadem nocte dieque toga.
 O quam magnus homo es, qui face rubentis aceti,
 Et stipula, & nigro pane carere potes!
 Leuconicis agedum tumeat tibi culcita lanis,
 Constringatque tuos purpura pæxa toros:
 Dormiat & tecum, qui cum modo Cæcuba miscet
 Convivas roseo torferat ore, puer:
 O quam tu cupies ter vivere Nestoris annos,
 Et nihil ex ulla perdere luce volēs!
 Rebus in angustis facile est contemnere vitam.
 Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Ad Severum. 58.

Miraris docto quod carmina mitto Severo,
 Ad cœnam cum te, docte Sever, vocem?

Iuppiter ambrosia satur est, & nectare vivo;
 Nos tamen exta Iovi cruda merumque damus:
 Omnia cum tibi sint dono concessa deorum,
 Si quod habes, non vis; ergo quid accipies?

In Telesphorum, 59.

Cum me velle vides, tentumque, Telesphore, sentis
 Magna rogas: puta me, velle negare nihil.
 Et nisi juratus dixi, dabo, subtrahis illas,
 Permittunt in me quæ tibi multas, nates.
 Quid si me tonsor, cum stricta novacula supra est,
 Tunc libertatem divitiasque roget?
 Promittam, nec enim rogat illo tempore tonsor,
 Latro rogat: res est imperiosa timor.
 Sed fuerit curva cum tuta novacula theca,
 Frangam tonsori crura manusque simul.
 At tibi nil faciam: sed lotâ mentula lævâ
 Αἰζῶν cupidæ dicet avaritiæ.

De Charino, 60.

Senos Charinus omnibus digitis gerit,
 Nec nocte ponit, annulos:
 Nec cum lavatur, causâ quæ sit, quæritis?
 Dactyliothecam non habet.

De Chione & Phlogide, 61.

Sit Phlogis, an Chione Veneri magis apta requiris?
 Pulchrior est Chione; sed Phlogis ulcus habet.
 Ulcus habet, Priami quod tendere possit alutam,
 Quodque senem Peliam non sinat esse senem.
 Ulcus habet, quod habere suam vult quisq; puellâ,
 Quod sanare Criton, non quod Hygeia potest.
 At Chione non sentit opus, nec vocibus ullis
 Adjuvat: absentem, marmoreamque putes.
 Exorare, Dej, si vos tam magna liceret;
 Et bona possidetis tam pretiosa date:
 Hoc quod habet Chione, corpus faceretis haberet:
 Vt Phlogis: & Chione, quod Phlogis ulcus habet.

De Nanneio fellatore, 62.

Lingua maritus; moechus ore Nanneius
 Summoenianis inquinatio r buccis:
 Quem cum fenestra vidit à Suburana
 Obscœna nudum Læda, fornicem cludit,
 Mediunq; mavult basiare, quam summum:
 Modo qui per omnes viscerum tubos ibat,

Et voce certa consciaque dicebat,
 Puer, an puella matris esset in ventre;
 (Gaudere cunni: vestra namque res acta est.)
 Arrigere linguam non potest fututricem.
 Nam, dum tumentis merfus hæret in vulva,
 Et vagientes iurus audit infantes,
 Partem gulosam solvit indecens morbus.
 Nec puras esse nunc potest, nec impurus.

De *Lesbia*, 63.

Lesbia se jurat gratis nunquam esse futuram.
 Verum est: cum futui vult, numerare solet.

In *Philomusum*, 64.

Spectas nos, Philomuse, cum lavamur;
 Et quare mihi tam mutoniat
 Sint leves pueri, subinde quæris.
 Dicam simpliciter tibi roganti:
 Radicant, Philomuse, curiosos.

In *Faustum*, 65.

Nescio tam multis quid scribas, Fauste, puellis:
 Hoc scio, quod scribit nulla puella tibi.

In *Iustinum*, 66.

Sexcenti cœnant à te, Iustine, vocati
 Lucis ad officium quæ tibi prima fuit.
 Inter quos, memini, non ultimus esse solebam;
 Nec locus hic nobis invidiosus erat.
 Postera sed festæ reddes solennia mensæ:
 Sexcentis hodiè, cras mihi natus eris.

In *Vacerram*, 67.

Et delator es, & calumniator:
 Et fraudator es, & negotiator:
 Et fellator es, & lanista. miror
 Quare non habeas, Vacerra, nummos:

In *Maronem*, 68.

Nil mihi das vivus: dicis, post fata daturum.
 Si non es stultus, scis, Maro, quid cupiam.

Ad *Mathonem*, 69.

Parva rogas magnos: sed nō dāt hæc quoq; magni
 Vt pudeat levius te, Matho, magna roga.

Epitaphium canis Lydia. 70.

Amphitheatrales inter nutrita magistros
 Venatrix, filvis aspera, blanda domi,
 Lydia dicebar domino fidissima Dextro,
 Qui non Erigones inallet habere canem:
 Nec qui Dictæa Cephalum de gente secutus,
 Luciferæ pariter venit ad aitra deæ.
 Non me longa dies, nec iuutilis abstulit ætas,
 Qualia Dilichio fata fuere cani:
 Fulmineo spumantis apri sum dente preempta,
 Quantum erat Calydon, aut Erymanthe iude.
 Nec queror, infernas quamvis cito rapta sub um-
 Non potui fato nobiliore mori. (bras)

In Tuccam. 71.

Vendere, Tucca, potes centenis millibus emptos?
 Plorantes dominos vendere, Tucca, potes?
 Nec te blanditiæ, nec verba rudesque querelæ,
 Nec te dente tuo faucia colla movent?
 Ah facinus! tunica patet inguen utrimque levata;
 Inspecturque tua mentula facta manu.
 Si te delectat numerata pecunia, vende
 Argentum, mensas, myrrhina, rura, domum.
 Vende senes servos, agros & vende paternos:
 Ne pueros vendas, omnia vende miser. (ve)
 Luxuria est emere hos (quis enim dubitave, negat-
 Sed multo major vendere luxuria est.

De Leda. 72.

Hystericam vetulo se dixerat esse marito,
 Et queritur futuri Leda necesse sibi.
 Sed flens atque gemens tanti negat esse salutem,
 Seque refert potius proposuisse mori.
 Vir rogat, ut vivat, virides nec deferat annos;
 Et fieri, quod jam non facit ipse, hinc.
 Protrinus accedunt medici, medica que recedunt,
 Tollunturque pedes: ô medicina gravis!

De Nara. 73.

Dranci Nara sui vorarne penem,
 Collatus cui Gallus est Priapus?

In Lygdum. 74.

Venturum iuras semper mihi, Lygde, roganti,
 Constituisque horam, constituisque locum.

Cum

Cum frustra jacui longa prurigine tenus,
 Succurrit pro te sæpe sinistra mihi.
 Quid precer, ô fallax, meritis & moribus istis?
 Vinbellam luscæ, Lygde, feras domi næ.

De Baccara. 75.

Curandum penem commisit Baccara Græcus
 Rivali medico: Baccara Gallus erit.

In Cæliam. 76.

Theca testus aëneâ lavatur
 Tecum, Cælia, servus, ut quid, oro,
 Non sit cum citharæodus, aut choraules?
 Non vis, ut puto, mentulam videre.
 Quare cum populo lavaris ergo?
 Omnes an tibi nos sumus spadones?
 Ergo ne videaris invidere,
 servo, Cælia, fibulam remitte.

Ad Patum, 77.

Solvere, Pæte, decem tibi me sestertia cogis:
 Perdiderit quoniam Bucco ducenta tibi.
 Ne noceant, oro, mihi non mea crimina: tu qui
 Bis centena potes perdere, perde decem.

In Vacerram. 78.

In omnibus Vacerra quod conclavibus
 Consumit horas, & die rota sedet:
 Coenaturit Vacerra, non cacaturit.

Ad Victorem sponsum. 79.

Vtere foemineis complexibus, utere, Victor,
 Ignotumque sibi mentula discat opus.
 Flamme a texuntur sponsæ, jam virgo paratur:
 Tondebit pueros jam nova nupta tuos.
 Pædicare semel cupido dabit illa marito,
 Dum metuit teli vulnera prima novi.
 Sæpius hoc fieri nutrix materque verabunt,
 Et dicent: uxor, non puer ista tibi est.
 Heul quantos æltus, quantos patiæ labores!
 Si fuerit cunnus res peregrina tibi!
 Ergo Suburanæ tironem trade magistræ.
 Illa virum faciet: non bene virgo docet.

Ad

Ad Patum, 80.

Ad primum decima lapidem quod venimus horã
 Arguimur lentæ crimine pigritiæ.
 Non est ista viæ, non est mea, sed tua culpa :
 Misisti mulas qui mihi, Pæte, tuas.

*De Bajis & Iulio Martiale, ad
 Flaccum, 81.*

Littus beatæ Veneris aureum Bajas,
 Bajas superbæ blanda dona Naturæ,
 Ut mille laudem, Flacce, versibus Bajas,
 Laudabo digne non satis ramen Bajas.
 Sed Martialem malo, Flacce, quam Bajas.
 Optare utrunque pariter, improbum votum est.
 Quod si deorum munere hoc tibi detur:
 Quid gaudiorum est Martialis & Bajæ !

*De Agle inter senem ac spadonem
 mediã, 82.*

Cũ sene communem vexat spado Dindymus Aglẽ,
 Et jacet in medio sicca puella toro:
 Viribus hic operi non est, hic utilis annis.
 Ergo sine effectu prurit uterque labor.
 Supplex illa rogat pro se, miserisque duobus,
 Hunc juvenem facias, hunc Cytherea virum.

De Philostrato, 83.

A Sinuessanis conviva Philostratus undis
 Conductum repetens nocte jubente larem,
 Pæne imitatus obit sævis Elpenora fatis,
 Præceps per longos dum ruit usque gradus.
 Non esset, Nymphæ, tam magna pericula passus,
 Si potius vestras ille bibisset aquas.

In Sosibianum, 84.

Nemo habitat gratis nisi dives & orbis apud te
 Nemo domum pluris, Sosibiane, locat.

De Antiocho tonsore, 85.

Qui nondum Stygias descendere querit ad undas
 Tonsorem fugiat, si sapit, Antiochum.
 Alba minus sævis lacerantur brachia cultris,
 Cum, furit ad Phrygios anthea turba modos.

Milioe

Mitior implicitas Alcon fecat enterocelas,
 Fractaque fabrili dedolat ossa manu.
 Tondeat hic iuopes Cynicos, & Stoica menta,
 Collaque pulvereâ nuder equina jubâ.
 Hic miserum Scythicâ sub rupe Promethea radat,
 Carnificem nudo pectore poscet avem
 Ad matrem fugiet Pêtheus, ad Moenadas Orpheus,
 Antiochi tantum barbara tela sonent.
 Hæc quæcunque meo numeratis litigata mento,
 In vetuli pyctæ qualia fronte sedent;
 Non iracundis fecit gravis unguibus uxor:
 Antiochi ferrum est, & scelerata manus.
 Vnus de cunctis animalibus hircus habet cor,
 Barbarus vivit ne ferat Antiochum.

In Zoilum, 86.

Sidere percussa est subito tibi, Zoile, lingua,
 Dum litigis, certe, Zoile, nunc futues.

In Parthenopæum, 87.

Leniat ut fauces medicus quas aspera vexat
 Assidue tussis, Parthenopæe, tibi:
 Mella dari nucleosque juber, dulcesque placentas,
 Et quidquid pueros non fuit esse truces.
 At tu non cessas totis tussire diebus.
 Non est hæc tussis, Parthenopæe, gula est.

Ad Charidemum, 88.

Dives eras quondam, sed tunc pædico fuisse i
 Et tibi nulla diu foemina nota fuit.
 Nunc sectaris anus. & quantum cogit egestas!
 Illa futurorem te, Charideme, facit.

Ad Lupum, de Malisiano, 89.

Multis jam, Lupe, posse se diebus
 Pædicare negat Malisianus.
 Causam cum modo quærerent sodales,
 Ventrem dixit habere se solum.

Ad Pollam, 90.

Intractas quare mittis mihi, Polla, coronas?
 A te vexatas malo tenere rosas.

In Chrestillum, 91.

Carmina nulla probas molli quæ limite currunt,
 Sed quæ per salebras altaque saxa cadunt.
 Et tibi Mæonio res carmine major habetur,

Lucci-

Lucrei columella hic. Situ Metrophanes 3st.

Attonitusque legis terrai frugiferai,
Accius & quidquid Pacuviusque vomunt.
Vis imiter veteres, Chrestille, tuosque poetas?
Dispeream, si scis mentula quid sapiat.

Epithaphium Canaces, 92.

Æolidos Canace jacet hoc tumulata sepulchro,
Ultima cui parvæ septima venit hiems.
Ah scelus! ah facinus! properas quid flere viator?
Non licet hic vitæ de brevitate queri.
Tristius est leto leti genus: horrida vultus
Abstulit, & tenero sedit in ore lues:
Ipsaque crudeles ederunt oscula morbi,
Nec data sunt nigris, tora labella rogis.
Si tam præcipiti fuerant ventura volatu,
Debuerant alia fata venire via.
Sed mors vocis iter properavit cludere blandæ,
Ne posset duras flectere lingua deas.

In Zoilum, 93.

Mentitur, qui te vitiosum, Zoile, dicit.
Non vitiosus homo es, Zoile, sed vitium.

In Theodorum, malum poetam, 94.

Pierios vatis Theodori flamma Penates
Abstulit. hoc Musis, hoc tibi, Phœbe, placet?
O scelus, o magnum facinus, crimenque deorum?
Non arsit pariter quod domus & dominus.

In verpum poetam, 95.

Quod nimium lives, noctis & ubique libellis
Detrahis, ignosco; verpe poeta sapis. (pis,
Hoc quoque non curo, quod tu mea carmina car-
Compilas; & sic, verpe poeta sapis,
Illud me cruciat Solymis quod natus in ipsis,
Pædicas puerum, verpe poeta, meum:
Ecce negas, jurasque mihi per templa Tonantis.
Non credo: jura, verpe, per Anchialum.

Ad Flaccum, 96.

Incideris: quoties in basia fellatorum,
In solium puta te mergere, Flacce, caput.

Ad Germanum, de aqueductu

Marcia, 97.

Marcia, non Rhenus, salit hic Germane. quid ob-
Et puerum prohibes divitis imbri lacus? (stas,
Barba.

Barbare, non debet, submoto cive, ministro
Captivam victix unda levare suum.

In Thelesillam, 98.

Vna nocte quater pollum; sed quattuor annis.
Si possum, peream, te Thelesilla, semel.

Ad Bassum, de basiatoribus, 99.

Esfragere non est, Basse, basiatores:
Instant, morantur, persequuntur, occurrunt,
Et hinc, & illinc; usquequaque, quacunque.
Non ulcus acre, pustulæque lucentes,
Nec triste mentum, fordidique lichenes,
Nec labra pingui delibuta ceroto,
Nec congelati gutta proderit nasi.
Et ætivantem basiant, & algentem,
Et nuptiale basium reservantem.
Non te cucullis asseret caput rectum,
Lectica nec te rita pelle, veloque,
Nec vindicabit sella sæpius clusa:
Rinqas per omneis basiator intrabit,
Non consulatus ipse, non tribunatus,
Senive fasces, nec superba clamosi,
Lictoris abiget virga basiatorem:
Sedeas in alto tu licet tribunali,
Et è curuli jura gentibus reddas:
Ascendet illà basiator, atque illà.
Febriticantem basiaabit & stentem;
Dabit oscitanti basium, natantique:
Dabit & cacanti, remedium mali solum esse.
Facias amicum, basiare quem nolis.

In Lesbiam, 100.

De cathedra quoties surgis (jam sæpe notavi)
Pædicant miseram, Lesbia, te tunicæ.
Quas cum conata es dextra, conata sinistra
Vellere, cum lachrymis eximis, & gemitu.
Sic constringuntur gemina Symplegade culi,
Et Minyas intrant Cyaneasque nates.
Ependare cupis vitium deforme? docebo:
Lesbia, nec surgas, censeo, nec sedeas.

Ad Flaccum, qualem velit amicum, 101.

Habere amicum nolo, Flacce, subtilem,
Cujus lacertos annuli mei cingant;

255 M. VAL. MARTIALIS
Quæ clune nudo radat & genu pungat,
Cui ferra lumbis, cuspis eminet culo:
Sed idem amicam nolo mille librarum.
Carnarius sum, pinguiarius non sum.

Ad eundem, 102.

Thaida tam tenuem potuisti, Flacce, videre?
Tu, puto, quod non est, Flacce, videre potes.

In Lydiam, 103.

Non est mentitus qui te mihi dixit habere
Formosam carnem, Lydia, non faciem.
Est ira, si taceas, & si tam muta recumbas,
Quam filet in cera vultus & in tabula.
Sed quoties loqueris, carnem quoque Lydia perdis
Et sua plus nulli, quam tibi lingua nocet,
Audiat ædilis ne te, videatque, caveto.
Portentum est, quoties coepit imago loqui.

In Sophonium, 104.

Tanta tibi est animi probitas orisque, Sophoni,
Ut mirer fieri te potuisse parrem.

In uxorem, 105.

Vxor vade foras, aut moribus utere nostris,
Non ego sum Curius, non Numa, non Tattius.
Me jucunda juvant tractæ per pocula noctes:
Tu properas pota surgere tristis aqua.
Tu tenebris gaudes: me ludere teste lucerna,
Et iuvat admittâ rumpere luce latus.
Fascia testunicæque, obscuræque pallia celant:
At mihi nulla satis nuda puella jacer,
Bafia me capiunt blandas imitata columbas;
Tu mihi das, avicæ qualia mane soles.
Nec motu diguaris opus, nec voce juvare,
Nec digitis, tanquam thura merumque pares.
Masturbabantur Phrygii post ostia servi,
Hæstoro quoties federat uxor equo.
Et quamvis, Ithaco stertente, pudica solebat
Illic Penelope semper habere manum.
Pardicare negas: dabat hoc Cornelia Graccho,
Iulia Pompejo, Porcia Brute tibi.
Dulcia Dardanio nondum miscente ministro
Pocula, Iuno fuit pro Ganymede Iovi.
Si te delectat gravitas; Lucretia toto
Sis licet usque die: Laida nocte volo.

Ad Garricum. 106.

Mitte bas libram, quadrantem, Garrice, mittis.
Saltem semissem, Garrice, solve mihi.

Ad Albium Mammum. 107.

Albi Maxime, si vacas * habere. * Al: ab ære
Hoc tantum lege: namque & occupatus,
Et non es nimium laboriosus,
Transis hos quoque quatuor sapisti.

Ad Septicianum. 108.

Explicitum nobis usque ad sua cornua librum,
Et quasi perlectum, Septiciane, referes.
Omnia legisti: credo, scio, gaudeo, verum est.
Perlegi libros sic ego quinque tuos.

Ad lectorem. 109.

Quamvis jam longo possis satur esse libello,
Lector; adhuc a me disticha pauca peris.
Sed Lupus usuram, puerique diaria poscunt:
Lector salve: tace s, dissimulasque? Vale.

M. VAL.

MARTIALIS

Epigrammatum.

LIBER. XII.

Vd. Martialis Prisco suo S.

Scio me patrocinium debere consumacissima vici-
Sui desidia: quæ absolvenda non esset inter illas
quoque occupationes urbicas, quibus facilius con-
sequimur, ut molesti potius quam officiosi esse videamur:
nedum in hac provinciali solitudine; ubi nisi
etiam intemperanter studeamus, & sine solatio, &
sine excusatione secesimus. Accipe ergo rationem,
in qua hoc maximum & primum est, quod civitatis
aures, quibus assueveram, quaero; & videor mihi in
alieno foro litigare. Si quid est enim in libellis meis
quod placeas, distavit auditor. Illam judiciorum sub-
siliarem,

R